

ben made and enacted, as well in the tyme of his most glorious reigne, as also in the tyme of his noble progenitors, concerning heresies, and haveing and deteyning erroneous bokes, contrary and against the faith catho-

like, shall immediatly be put in effectuali and new execution, over and besides this present proclamation.

And God save the king.

Papae Rom.  
CLEMENT. VII. 8.

Archiep. Cant.  
GUILIEL. WARHAM 28.

Anno Christi  
1530.

Reg. Angliae  
HENRIC. VIII. 22.

*Concessio facta in synodo provinciali per clerum Cantuariensis provinciae pro domino rege, etc.* Ex rot. clauf. 22. Hen. VIII. m. 19. d. et ex Foeder. Rymer vol. XIV. p. 413.

**E**XCELLENTISSIMO et illustrissimo principi et domino nostro, dom. Henrico octavo, Dei gratia Angliae et Franciae regi, fidei defensori, et domino Hiberniae, invictissimo et potentissimo; Willielmus, permissione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliae primas, et apostolicae sedis legatus, salutem in eo, per quem reges regnant, et principes dominantur. Vestrae regiae celsitudini per praefens publicum instrumentum, sive has literas testimoniales sigillo nostro sigillatas, ac signo, nomine, et subscriptione manus notarii publici subscripti, scribae nostri in hac parte assumpti, subscriptas et consignatas, tenore praesentium significamus, et notum facimus; quod nos Willielmus, archiepiscopus praedictus, et suffraganei nostri, caeterique praelati, et clerus nostrae Cantuariensis provinciae, in sacra synodo provinciali, sive praelatorum et cleri ejusdem provinciae Cantuariensis convocatione, in ecclesia cathedrali divi Pauli London. quinto die mensis Novembris, anno Domini M. D. XXIX. indictione tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Clementis, divina providentia hujus nominis papae septimi, anno septimo, inchoata, et celebrata, ac de tempore in tempus continuata, et nuper ex causis urgentibus ad domum capitularem infra monasterium sancti Petri Westmonasteriensis situatam prorogata, et ibidem de diebus in dies continuata, congregati, super quibusdam arduis et urgentibus negotiis, ecclesiam Anglicanam tangentibus, saepius, pluries, et iteratis vicibus tractavimus et communicavimus; tandem post longum tractatum inter nos, et confratres nostros, praelatosque, decanos, archidiaconos, et cleri nostrae Cantuariensis provinciae procuratores in ea parte habitum, die Martis, videlicet vicesimo quarto die mensis Januarii, anno Domini secundum cursum et computationem ecclesiae Anglicanae M. D. XXX. indictione quarta, pontificatus dicti sanctissimi in Christo patris anno octavo, in domo capitulari Westmonasteriensi praedicta iterum congregati, nos Willielmus, archiepiscopus antedictus, nostrique suffraganei, caeterique praelati et clerus antedicti vestrae regiae majestati concessimus summam centum millium librarum, sumptibus et expensis omnium nostrorum praedictorum colligendam, levandam, et ad usum vestrae regiae majestatis persolvendam, locis et terminis in ea parte assignatis et limitatis, prout in quodam scripto

certificatorio, vestrae celsitudini per nos facto, et sub sigillo nostro archiepiscopali praedicto plenius continetur; cujus concessionis forma sequitur in haec verba:

Si naturaliter obligamur iis maxime benefacere, qui de nobis prae caeteris bene meriti sunt, ut certe obligamur; profecto nisi humanitatis officia et naturae jura foede violare voverimus, non possumus omittere vel praeterire, quin illustrissimo et potentissimo domino nostro Henrico octavo, Angliae et Franciae regi invictissimo, fidei defensori, et domino Hiberniae, pro suis ingentibus et incomparabilibus beneficiis aliquam nostri animi gratam significationem, non tantum per verbalem gratiarum et laudum actionem, sed etiam per realis et pecuniariae benevolentiae spontaneam oblationem, ostendamus. Tanta enim sunt illustrissimae ejus majestatis in nos merita, quod nullis laudibus aequari, nullis gratiis referri, nullis officiis rependi, nedum nostris praemiis aut muneribus recompensari queant. Etenim sicut superioribus diebus universalem ecclesiam, cujus humillima membra sumus, studiosissime calamo et sumptuosissimo bello contra hostes defendit, tam potenter et invicte, quod nominis et famae aeternam gloriam inde promeruit, atque ad caelos viam aperuit, et ingressum sibi patefecit; atque praeterea totam Christi ecclesiam generaliter, et nos suos subditos magis peculiariter tali merito sibi perpetuo, et obligatissime devinxit; sic impraesens quamplurimos hostes, maxime Lutheranos, in perniciem ecclesiae et cleri Anglicani (cujus singularem protectorem unicum et supremum dominum, et quantum per Christi legem licet, etiam supremum caput ipsius majestatem recognoscimus) conspirantes, ac in praelatorum et cleri famam et personas sparsis famosis libellis, mendaciis, et maledictis, jampridem hoc animo debacchantes, ut illorum aestimationem laederent, et vulgo contemnendos propinarent; sapientissima ejus majestas, ut decebat pium fidei et ecclesiae defensorem, suis laboribus, studio, rationibus, et consiliis, imo suis monitis, edictis, et auctoritate taliter contudit et repressit, quod illorum audacia coepit refrigescere, quae maximum tumultum contra ecclesiam videbatur excitatura; qui, tametsi in sola ecclesiae potestate subvertenda praecludebant, tamen forsitan intendebant non solum praelatorum, sed etiam omnium principum potestatem enervare, et evangelii

evangelii imitationem simulantes, atque sanctam quandam hyprocrisim suis incepris praetendentes, eo respiciebant, ut tandem confederata nequissima multitudo insurgerent, et bona clericis data diriperent, ac in ecclesiarum possessiones violenter irrumperent; quem metum atque periculum rex noster invictissimus a nobis depulit, et curavit, ut in quiete securaque pace Deo ministrare, et curae animarum populi ejus majestati commissi debite inservire possimus. Quocirca ne illustrissima ejus majestas suam benevolentiam et excellentissima beneficia praefata in omnino ingratos se contulisse judicet; et quia summe confidimus, quod ejus celsitudo ex sua in Deum ingenti pietate, proque clarissimo fidei defensoris nomine, quod prae caeteris regibus longe honoratissimum jam olim promeruit, Christi fidem et ecclesiam solito zelo contra haereticos et alios oppugnatores potenter defendet; et ut omnibus et singulis praelatis, clericis, et religiosis in sacris ordinibus constitutis, omnibus abbatissis, priorissis, etiam sanctimonialibus Cantuariensis provinciae, atque quibusvis iudicibus, advocatis, registrariis, et scribis, procuratoribus ad judicia constitutis, ac apparitoribus, caeterisque, qui infra Cantuariensem provinciam potestatem aut jurisdictionem, ut iudices eorumve deputati, in aliquibus curiis spiritualibus exercuerunt, aut ejusdem jurisdictionis exercitio vel executioni, sicut advocati, registrarii, scribae, procuratores ad judicia, et apparitores, ministri fuere, generalem gratiam et pardonationem de omnibus eorum transgressionibus poenaliu legum, et statutoru hujus regni, tum caeterorum, tum etiam statutoru "De provisoribus et prae-munire," in tam amplis modo, et forma, prout suae majestati ex solita sua benignitate in subditos suos saepius ostendere placuit, concedere dignetur, nobis ea condonans, quae nobis humilibus suis subditis prodesse, et ab angustiis, quibus versamur, liberare poterunt. Quod ut faciat humillime provoluti in genua ante pedes ejusdem celsitudinis supplices deprecamur, nos praelati et clerus dictae Cantuariensis provinciae, in convocatione sive sacra synodo provinciali in ecclesia cathedrali divi Pauli London. quinto die mensis Novembris, anno Dom. M. D. XXI. per reverendissimum in Christo patrem et dominum, dominum Willielmum, permissione divina Cantuariensem archiepiscopum, totius Angliae primatem, et apostolicae sedis legatum, ac per praelatos et clerum Cantuariensis provinciae praedictae inchoata, et de tempore in tempus continuata, et nuper ex causis urgentibus ad domum capitularem, infra monasterium sancti Petri Westmonasteriensis situatam, prorogata, illustrissimo et potentissimo principi domino nostro Henrico octavo, Dei gratia Angliae et Franciae regi, fidei defensori, et domino Hiberniae, dedimus et concessimus, prout per praesentes damus, et concedimus, summam centum millium librarum de bonis et possessionibus ecclesiasticis, et ecclesiasticorum dictae Cantuariensis provinciae, pro tempore existent. sumptibus praedictorum praelatorum et cleri, absque deductione aliqua,

feu, ut vocant, allocatione, a regia majestate ratione archiepiscopatus aut cujuscunque episcopatus provinciae antedictae interim vacant, aut forsitan vacatur. quovismodo petenda, seu contributione aliqua ad solutionem ipsius summae vel alicujus partis ejusdem a laicis quovismodo exigend. praeterquam ab iis laicis, ad quorum manus bona illorum praelatorum vel clericorum pervenient, qui tempore mortis suae ad solutionem alicujus partis dictae summae tenebuntur; quam summae partem etiam laici pro rata bonorum, quae ad manus eorum pervenient, solvere tenebuntur, modo et forma in hac eadem synodo assignatis et assignandis, levandam et colligendam, necnon ad usum majestatis ejusdem intra quinquennium, exnunc proximo et immediate sequens, per quinque aequales portiones fideliter persolvendam, ita videlicet, quod prima portio (dictarum quinque videlicet viginti millium librarum) in festo sancti Michaelis archangeli proximo futuro ejus majestati debita censeatur, et in festo annunciationis beatae Mariae extunc proximo sequente per receptores fideliter persolvatur; secunda vero portio (dictarum quinque) in festo sancti Michaelis archangeli, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo secundo, ejus majestati debita censeatur, et in festo annunciationis beatae Mariae extunc proximo sequente ad usum ejusdem fideliter persolvatur. Tertia vero portio (dictarum quinque) in festo Michaelis archangeli, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio, ejus majestati debita censeatur, et in festo annunciationis beatae Mariae extunc proximo sequente ad usum ejusdem fideliter persolvatur. Quarta vero portio (dictarum quinque) in festo sancti Michaelis archangeli, anno Dom. millesimo quingentesimo tricesimo quarto, ejus majestati debita censeatur, et in festo annunciationis beatae Mariae extunc proximo sequente ad usum ejusdem fideliter persolvatur. Quinta vero et ultima portio (dictarum quinque) in festo sancti Michaelis archangeli, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto, ejus majestati debita censeatur, et in festo annunciationis beatae Mariae extunc proximo sequente ad usum ejusdem fideliter persolvatur. Ita videlicet quod receptores generales ad hanc summam centum millium librarum a collectoribus per praelatos singularum dioecesium, pro quibus ipsi praelati et clerus domino nostro regi respondere tenebuntur, constituendis, recipiendam auctoritate hujus convocationis deputandi, omnes et singulas pecuniarum summas, sic per eos et suos in ea parte deputatos sive assignatos, de et pro hujusmodi summa centum millium librarum sic ad usum domini nostri regis concessa, et qualibet parte ejusdem receptas, thesaurario camerae ejusdem domini nostri regis, pro tempore existent, in domo officii sui apud Westmonasterium, de tempore in tempus, et non alibi, neque alteri solvere teneantur. Atque ad hoc per indenturas inter eundem thesaurarium, et receptores praedictos conficiendas, et in receptione cujuscunque summae, sic eidem thesaurario solvendae absque omni

omni dilatione seu excusatione quacunquē manu ejusdem thesaurarii subscribendas, et dictis receptoribus pro summis sic per eos ei persolutis in plenam exonerationem ac acquietantiam pro eisdem sufficientem continue deliberandas; ita videlicet, quod vigore dictarum indenturarum tam omnes et singuli episcopi, praelati, et clerus dictae Cantuariensis provinciae, quam ipsi receptores generales praedicti pro hujusmodi summis solutis omnimodo sint acquietati et exonerati, sic quod alibi vel per aliquam spiritualem seu temporalem personam non molestantur, turbentur, aut inquietentur, sive molestari possint aut valeant quovismodo infuturum. Et quoniam placuerit benignitati regis nostri serenissimi, propter quamplures casus fortuitos, qui interim evenire possent, nobis concedere suam majestatem aequo animo laturam, si de summa illa viginti millium librarum singulo quoque anno, durante hoc quinquennio, ut praefertur, persolvenda nonnihil in termino solutioni praefinito defuerit aut desideretur, modo summam duorum millium marcarum in uno anno, vel decem millium marcarum in toto hoc quinquennio non excedat; nos praelati et clerus antedicti summam illam seu summas ita desideratas, seu terminis, ut praemittitur, debitis minime persolutas, in sexto abhinc anno, videlicet, in festo annunciationis beatae Mariae virginis, quod erit, inchoante anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo, thesaurario camerae ejus majestatis loco, modo, et forma praescriptis, integre, fideliter, et plenarie persolvemus. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem et testimonium nos Willielmus, archiepiscopus, primas et legatus antedictus, praesentes literas testimoniales sive hoc praesens publicum instrumentum sigilli nostri appensione, signoque et subscriptione Willielmi Potkyn, publici auctoritate apostolica notarii et scribae nostri in hac parte assumpti, fecimus et justissimum communiri. Dat. quoad sigillationem praesentium vicesimo

secundo die mensis Martii, anno Domini secundum cursum et computationem ecclesiae Anglicanae millesimo quingentesimo tricesimo, et nostrae translationis anno vicesimo octavo. Et ego Willielmus Potkyn, clericus Cantuariensis dioecesis, publicus auctoritate apostolica notarius, dictique reverendissimi in Christo patris et domini, domini Willielmi, permissione divina Cantuariensis archiepiscopi, totius Angliae primatis, et apostolicae sedis legati, registratorius, in actorum scribam specialiter in hac parte assumptus, deputatus, quia praefatae concessionis summae centum millium librarum in dicta sacra synodo provinciali, sive praelatorum et cleri Cantuariensis provinciae convocatione, praedicto illustrissimo et potentissimo domino nostro Henrico octavo, Angliae et Franciae regi, fidei defensori, et domino Hiberniae, invictissimo, sumptibus et expensis omnium dictorum praelatorum et cleri Cantuariensis provinciae colligendae et levandae, et ad usum ejusdem illustrissimi et potentissimi domini nostri regis fideliter persolvendae, locis et terminis in ea parte assignatis et limitatis, caeterisque praemissis omnibus et singulis, dum sic, ut praemittitur, sub anno Domini, indictione, et pontificatu, ac mensibus, diebus, et loco superius expressis, agerentur et fierent, una cum praescripto reverendissimo in Christo patre, reverendisque episcopis suffraganeis suis, necnon praelatis et clero dictae provinciae Cantuariensis, praesens personaliter interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, et audivi; ideo has literas testimoniales sive hoc praesens publicum instrumentum exinde confectum, et in hanc publicam formam redactum subscripsi, ac signo et nomine meis solitis et consuetis, una cum appensione sigilli praefati reverendissimi patris, signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium praemissorum. Et constat mihi notario publico praedicto de interlineatione horum verborum, "ut judices," in vicesima linea, a principio hujus instrumenti numeranda.

Papae Rom.  
CLEMENT. VII. 8.

Archiep. Cant.  
GUILIEL. WARHAM 28.

Anno Christi.  
1530.

Reg. Angliae  
HENRIC. VIII. 22.

*Concilium cleri provinciae Ebor.* Ex reg. dec. et cap. Ebor. fol. 637. seq.

**S**EDE archiepiscopali Ebor. per mortem cardinalis Wolseii vacante, rex breve pro concilio provinciali die 12. Januar. apud Ebor. habendo, dirigit custodibus spiritualitatis archiepiscopatus, sub forma consueta dat. 7. Decemb. anno regni xxii. Concilium eo die conveniebat, et continuabatur in diem Sabbati, viz. 14. diem ejusdem mensis, A. D. M. d. xxx. Quo die praelati et clerus "unanimes consensu pariter et assensu, nullo eorum discrepante, pure, sponte, simpliciter, et absolute remiserunt, relaxarunt, et condonarunt, ac ipsum illustrissimum dominum nostrum regem Henricum viii. modernum, haeredes et successores suos quoscunque, pro se et successoribus suis liberarunt, absolverunt, et acquietaverunt, pro omnibus et omnimodis pecuniarum summis a praelatis et clero civitatis, dioec. et provinciae

Ebor. suae excellentissimae majestati antehac mutuatis."

In registri ejusdem fol. 640. sequitur certifiatorium de hac remissione factum per custodes spiritualitatis, dat. die et anno praedictis, viz. 14. die Januarii, A. D. M. d. xxx. indictione iv. pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, dom. Clementis, divina providentia hujus nominis papae vii. anno viii.

Et continuata eadem convocatione ulterius ad et in diem Jovis, viz. 4. diem mensis Maii, A. D. M. d. xxxi. indictione et anno pontificatus Clementis papae praedictis, praelati et clerus in eadem congregati regiae majestati concesserunt "summam decem et octo millium octingentarum et quadraginta librarum et decem denariorum." Cujus concessionis forma sive effectus sequitur in haec verba, sicut recitatur